

titularibus, sed hoc idem respondit de canonicis, qui essent episcopi titulares atque insimul suffraganei apud episcopum dioecesanum. Sic in Leopoliensis. proposita iterum causa hujusmodi praecedentiae inter canonicum Joannem Scarbeki episcopum Marocchiensem suffraganeum custodem ecclesiae cathedralis Leopoliensis. et capitulum ac decanum et alias dignitates etc. censuit die 11. Septembris 1700: „Praecedentiam competere episcopo suffraganeo licet canonico in choro processionebus et aliis functionibus ecclesiasticis supra primam et alias dignitates et canonicos.“

Ex his ergo decretis quae attulimus concludi posse videtur episcopis titularibus canonicatum simul retinentibus, ubicumque cum capitulo ejusque dignitatibus conveniunt et in quibusque capitularibus functionibus sive in choro sive extra chorum praecedentiam competere et primum locum deberi. Ex hac autem praecedentia et occupatione primi loci sedulo cavendum est, ne quis inferat praelationem ipsis aequae competere in cantandis missis aliisque peragendis solemnioribus functionibus absente vel impedito episcopo.

Neque de hoc dubitare licet quoad factum dum ipsi defensores contrariae sententiae ita expresse fatentur. „Praestantiores canonistas hac in controversia adivimus et plura authentica decreta S. R. C. perlegimus. Sed dum fatemur ex hisce elucere quidem praecedentiam episcoporum titularium canonicatum obtinentium non ita vero praelationem solemniora divina officia celebrandi etc.“ quamquam in contradictionem lapsi continenti calamo nonnulla decreta afferunt, quibus jus illud ipsis adstruere posse existimant et simul animadvertunt ideo praelationem illam celebrandi solemniora divina officia in pluribus illis decretis

non elucere, quia *nec eandem episcopi a praedicta s. C. declarari postulaverunt*. Hanc animadversionem in progressu disputationis, cum opportuna incidet occasio, remittentes, praestat nunc decreta ista expendere, quibus existimant jus hujusmodi episcopis titularibus seu auxiliariis canonicatum retinentibus manifeste attribui. Haec obijciuntur tum a capitulo in suo voto quam a caeremoniarum magistro in suis deductionibus in favorem episcopi auxiliaris.

In voto capituli haec habentur: „Sacra tamen Congregatio praecedentiam et praelationem episcoporum titularium decretis complecti voluisse videtur, quae servari mandavit in cathedrali Ragusina et Leodien. Sic porro censuit in Ragusina die 22. Junii 1594: Episcopus titularis canonicatum obtinens debet praecedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi missas et omnia alia.“

Peremptorium sane argumentum si decreti verba accipiamus uti venditantur. Verum videnter asserimus, neque ex aliis quae obijciuntur et quae ad examen revocabimus non modo nihil confici posse contra nostram sententiam, sed potius mirifice eam confirmari. Et sane ut rem aggrediamur monendum primo est, decretum illud Ragusin. non extare neque in titulario S. hujus Congregationis neque in collectione authentica Gardelliniana; *Secundo*: auctoritate Pii VII. fel. re: cautum fuisse decreta quaecumque, quae in ea collectione non extant in controversiis dirimendis vim nullam habere. En verba quae prostant in decreto, quo facultas fit edendi eam collectionem decretorum S. R. C. cum privilegiis etc. „Voluit autem (Eminentissimus praefectus ex facultatibus sic datus a Pio VII.) ut in iudiciis et in quacumque dirimenda controversia

illorum tantummodo decretorum auctoritas valeat, quae in hac editione (Gardelliniana) a se permessa et approbata atque secretarii S. R. C. manu subscripta continentur.“ Die 1. Junii 1808. Ergo etsi admittatur existentia ejus decreti, quod unicum esset oppositum innumeris contrariae sententiae decretis, non valeret tamen ejus auctoritas in hac quaestione definienda, quia non extat in collectione authentica Gardelliniana et quodcumque illud sit, manet in sua privata, ut ita dicam, auctoritate.

Nunc vero intrinsecum ejus decreti subjectum attingere volentes duo pariter inquirimus: primo cujusnam decreti sunt verba illa citata et tamquam authentica duplicatis virgulis distincta? Desumpta quidem sunt a D. Bonix in tract. de episcopo tom. I. pag. 493, sed verba sunt Lucii Ferraris in sua bibliotheca canonica V.: episcopus art. 7. n. 34, qui non decreti alicujus authentica verba proferens, sed sententiam suam verbis exprimens sic ait: „Episcopus titularis canonicatum obtinens in ecclesia cathedrali potest et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in romana curia, hoc est rocchetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris; s. Congr. Rit. in Compestellana 15. Julii 1617. Et debet praecedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi missas et omnia alia: Sac. Congr. Rit. in Ragusina 22. Junii 1594, in d. Compestellana 15. Junii 1617 et in Calaguritana 13. Nov. 1621.“ (sed verius Calaritano).

At undenam quaeso Ferrarius verba illa tam peremptoria desumpsit quoad functiones cantandi missas et omnia alia? Num ex aliquo repertorio aut miscellaneis indigestis? Allegat ipse decreta Ragusin., Compestellan. et Calaritan. At ex decretis

Compestell., quo superius pro nostra sententia usi sumus, et Calaritan., de quo sermo redibit, nil aliud deduci posse certum est, quam praecedentiam honoris assistendo in choro aliisque functionibus episcopis titularibus deferendam esse, minime vero praelationem in missis cantandis sacrisque functionibus peragendis. Ad Ragusin. vero quod attinet, utemur eo ipso documento, quod nobis exhibet (non enim in authentica collectione reperitur) ipse caeremoniarum magister in fol. separato in supplemento suarum deductionum: „Ad aures Emmorum Patrum s. Congregationis pervenit, quod dignitates et canonici metropolitanae Ragusinae haesitent an ipsi episcopis suffraganeis vel exteris supplicationibus vel divinis in choro praesentibus digniorem locum deferre teneantur sitque ab ipsis par obsequium vicario generali exhibendum. Et S. Rit. C. dignitatibus et canonicis praefatis praesenti decreto significandum duxit, quod episcopis exteris pluviali et mitra redimitis ipsi tametsi sacris induti digniorem locum semper deferre tenentur nec diversam disciplinam cum iisdem episcopis sacris non redimitis ipsimet choralibus amicti indumentis servare debent. Verum ipsos sacris indutos nequaquam debere digniorem locum vicario generali non episcopo deferre et contrariam consuetudinem, si quae extet, abrogandam sacra eadem Congregatio declaravit nec non dignitates et capitulum praefatum admoneri praecipit, ut sicut obsequentissimos S. C. filios decet sese posthac ostendant hisce et ante actis decretis observatores quam religiosos. Die 10. Aprilis 1718.“

Age nunc: singula haec aequo animo expendamus. Quid quaeso postulant dignitates et canonici metropolitanae Ragusinae aut in quo haesitant?

An ipsi episcopis suffraganeis vel

exteris supplicationibus vel divinis in choro praesentibus digniorem locum deferre teneantur sitque ab ipsis par obsequium vicario generali exhibendum? Estne in dubio in petitione aliquid quod respiciat praelationem in peragendis solemnioribus functionibus missisque cantandis? Nihil porro; sed dubitatur tantum et quaeritur de digniori loco deferendo episcopis suffraganeis vel exteris, qui tam supplicationibus, quam divinis in choro praesentes sint seu assistant, id est an episcopis istis supra canonicos et dignitates debeatur praecedentia tum sedendi tum procedendi in sacris functionibus tam in choro in divinis quam extra in supplicationibus. Quid respondit S. R. Congregatio? nihil certe supra vel ultra petitionem et dubium. Respondit ergo quod dignitates et canonici in sacris functionibus digniorem locum episcopis etiam exteris deferre debeant hoc ordine; nempe si ipsi sint sacris induti digniorem locum cedant episcopis pluviali et mitra redimitis, si vero choralibus tantum indumentis amicti sint, cedant episcopis etiam sacris non redimitis. Poteratne quidpiam clarius afferri ad nostram sententiam confirmandam?

Verum hic modo oriri potest scrupulus. Decretum hoc Ragusin. quod exsolvimus est diei 10. Aprilis 1718 cum aliud a capitulo objectum et a Lucio Ferraris mutuatum sit diei 22. Junii 1594. Posset certe antiquius decretum esse a recentiori diversum et ad tuendam causam episcopi auxiliaris magis accommodatum. Assentimus libenter antiquius decretum posse esse ab hoc recentiori diversum. Sed ut certa fieri possit collatio et dari adaequata responsio opus esset utriusque decreti authentica verba prae oculis habere. Itaque hoc unum animadvertimus: Si germana et genuina sententia antiquioris decreti ea esset,

quam exhibent adversarii, nempe „ut episcopus titularis canonicatum obtinens debeat praecedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus tam quoad stallum quam quoad functiones cantandi missas et omnia alia“, videretur certe observantia ejus decreti, quod S. R. C. servari mandavit, in cathedrali Ragusina jam inde a die 22. Junii 1594 et consuetudinem constituisset duobus saeculis antiquiorem quando novum decretum editum est die 10. Aprilis 1718. Jam vero posita centenaria illa consuetudine quomodo poterat canonicis et dignitatibus metropolitanae Ragusinae dubium oriri et haesitare an episcopi hujusmodi digniorem tantummodo locum deferre ipsi tenerentur? Haec quidem nos inducunt, ut credamus, consuetudinem illam non extitisse neque decretum apertissimis illis verbis conceptum aut „si quae extet“ (verba sunt recentioris decreti) eam abrogandam“ S. Congregatio declaravit.

At pergunt redactores ejus voti alia decreta seu exempla afferentes: „Eadem S. R. C. declaravit in Leodiensi die 1. Decembris 1657 episcopo titulari aequae ac episcopo de residentia praelationem et obsequia debere eumque propterea caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus ubique et in omnibus praefendum esse: ut si in omnibus episcopus titularis praefendus est ergo in solemnioribus etiam quibuscumque divinis officiis celebrandis. Decretum hoc pro Leodiensi confirmatum postea fuit pro Comensi episcopo a S. R. C. die 10. Febr. 1753.“

Verum si decreti verba expendamus uti sonant non aliam praecedentiam exhibent quam honoris et obsequii, quae debetur episcopis titularibus dum sacris functionibus tam in choro quam extra assistunt. At perspicaciores redactorum oculi S. R. C. mentem pe-

nitius introsipientes vident praelationem in solemnioribus quibuscumque divinis officiis celebrandis in illis decreti verbis praefendam esse.

Quaestionem dirimat ipsa dubii expositio S. R. C. proposita, quae sic habetur in authentica collectione: Joann. Antonius episcopus Dionysien. suffraganeus episcopi Leodien. declarari postulavit: An ipsi episcopo suffraganeo vel praeposito et decano primis ecclesiae cathedralis Leodiensi dignitatibus praecedentia competat? „In hoc certe de alio non quaeritur nisi de simplici praecedentia. Sacra autem Congregatio responsonem non extendit ultra quaesitum et dubium. Ergo verba decreti accipienda sunt de simplici praecedentia, prout exposuimus, eo vel magis, quod S. Congregatio, quando his aut similibus verbis utitur, constanter et firmiter de sola praecedentia in assistendo loquitur, ut magna adducta decretorum congerie ostendi posset et satis eruitur ex iis, quae attulimus quaeque in posterum afferemus. Quando aliter vult intelligi clariora adhibet verba ut: missas cantare, divina officia celebrare etc.“

Quod si sententiae suae vim ex iis verbis deducere velint episcopo titulari aequae ac episcopo de residentia praelationem et obsequia debere intelligendo praelationem hanc et obsequia ultra simpliciter praecedentiam honoris et obsequii eamque extendendo ad jus praecedendi etiam quoad actus jurisdictionales supra caeteras omnes dignitates episcopali inferiores argumentum nimis probaret. Tantam enim eis concederet praelationem jurisdictionis supra illas dignitates, quantam habet Episcopus de residentia atque essent quoad haec exercitium jurisdictionis ferme ut totidem episcopi dioecesani. Quod absurdum cum sit admitti nequit, ideoque verba illa sunt temperanda seu potius juxta mentem

S. Congregationis accipienda, quam multoties constanter aperuit in sexcentis decretis: quod nempe respectu dignitatis episcopalis et honoris causa omnia alia Capituli membra debeant Episcopis hujusmodi capitulari cuiquam functioni praesentibus et assistentibus primum stallum cedere et ubique sive in choro sive extra et in omnibus sive divinis officiis sive supplicationibus primum locum id est praecedentiam deferre., Clarior res fiet, si decreti, quod mancum mutilumque prolatum est, integrum contextum consideremus. Sic enim habet:

„Et eadem S. R. C. Episcopo titulari aequae ac Episcopo de residentia praelationem et obsequia debere respondit. Siquidem etsi divisae sint sedium sortes, tamen praesulum jura semper eadem permanent. Cum utique detur catholicae religionis vim actui non autem habitui potestatis et jurisdictionis inferre, qua fraudetur episcopalis dignitas, non minuitur ac propterea Episcopum oratorem caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus ubique et in omnibus praefendum esse declaravit.“

In hoc decreto S. C. ut ostenderet Episcopo hujusmodi obsequium honorem et praecedentiam debere supra omnes Capituli dignitates voluit argumentum deducere ab intrinseca episcopalis ordinis seu characteris dignitate, ostendens Episcopos titulares, licet jurisdictionis exercitium actu non habeant, imminutos tamen non esse jure habituali sui ministerii et dignitate episcopali: „etsi divisae sint sedium sortes, tamen praesulum jura semper eadem permanent.“ Quod si infideles, in quorum partibus esset Episcoporum titularium residentia et jurisdictionis exercitium, actum impediunt et fraudant episcopalem dignitatem, habitum tamen potestatis et jurisdictionis auferre nequeunt neque episcopalem dignitatem

minuere. Ergo comparationem instituens inter Episcopos titulares et Episcopos de residentia asserit ac declarat, *illis*, licet actuali jurisdictione carentibus, praeditis tamen potestate et jurisdictione habituali et dignitate episcopali, *aeque ac istis*, qui, de residentia cum sint, habent liberum suae jurisdictionis exercitium, „obsequium et praelationem deberi et caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus esse praefereandos; non utique veluti ad exercitium actuum jurisdictionalium, quod deplorat vim pati ab hostibus catholicae religionis, sed relate ad honorem debitum episcopali dignitati, quae non minuitur. Ergo loquitur de simplici praecedentia honoris, dum choro, divinis officiis, missis et supplicationibus assistunt, non de praelatione in functionibus quibuscumque peragendis actibusque jurisdictionalibus exercendis et hoc adamusim consonat cum petitione ac dubio praeposito:

*An ipsi Episcopo suffraganeo vel . . . primis Ecclesiae Cathedralis Leodiensis dignitatibus praecedentia competat? et cum responsione S. C.:* „Episcopo titulari aequae ac Episcopo de residentia praelationem et obsequium deberi . . . ac propterea Episcopum oratorem caeteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus ubique et in omnibus esse praefereendum.“

Nec quidquam roboris accedit eorum sententiae ex decreto pro Episcopo Epiphaniae in Comen. die 10. Februarii 1753 postremo loco adducto, quo confirmari autumant decretum Leodiense. Imo Decretum Comense accipiendum esse juxta Decretum Leodiense, quod modo exposuimus, manifestum fiet ex simplici relatione documentorum, quae ita extant in collectione n. 4082: „Comen. Emmi et Rmi Signiori. Gio Battista Pellegrini vescovo di Epiphania in parti d'infideli,

e Canonico della chiesa cattedrale di Como expone divotamente all' EE. VV. che per acquietare li canonici della medesima cattedrale, quale credevano non doversi alli canonici vescovi la precedenza tanto in coro quanto nelle altre funzioni, e perciò neppure all' oratore, supplica l' EE. VV. per una benigna dichiarazione, e sotto li 22. Aprile 1752 si degnavano di rescrivere: *Dentur decreta*, in vigore di che riportò il decreto del tenore seguente: *Compostellana*. Omittimus tenorem decreti, quod habetur, suo apte loco sub die 15. Julii 1617. A questo decreto si acquietarano li canonici e semplici, ma non li canonici che sono dignità, rilevando forse che non sono essi letteralmente compresi nel detto decreto, massime, perché nelle chiese patriarcali di Roma, la di cui osservanza nel medesimo decreto si allega, non vi sono dignità, come nella cattedrale di Como; perciò l'oratore supplica umilmente l' EE. VV. a volersi degnare di dichiarare, se tra i canonici e nel predetto decreto di Compostella s'intendendo, in questo caso compresi anche li canonici che sono dignità della medesima chiesa, talché debba il vescovo e per conseguenza l'oratore precedere tanto in coro quanto in tutte le altre funzioni a tutti li canonici e dignità dell' istessa chiesa, che della grazia etc.“

„Facta per me secretarium relatione de superscripto supplici libello Rmi Joannis Baptistae Pellegrini Episcopi Epiphaniae et Canonici Ecclesiae Cathedralis Comen. S. eadem C. die Februarii 1753 rescripsit: *Detur decretum in Leodien. tenoris sequentis*. „Leodien. Omittimus tenorem decreti quod legitur suo apte loco sub die 1. Decembris 1657.“

Non est cur in hujus decreti expositione diutius immoremur. Tota responsionis vis remittitur ad decretum

Compostellanum, quod superius pro re nostra attulimus, et ad Decretum Leodiense, quod mox explanabimus. Animadvertimus tantum ex supplici libello Episcopi Epiphaniae et reiteratione precum patere quaestionem tantum esse de simplici praecedentia, non de quocumque alio jure praelationis in peragendis functionibus.

Aliud demum decretum in favorem Episcopi auxiliaris affert Caeremoniarum magister in suis deductionibus inquit: „Verum tamen mihi videtur quod jam satis alias sit provisum a S. R. C.: Nam die 13. Novembris in Calaritana n. 359 (rectius n. 459) sic decrevit: In choro, capitulo, processionibus aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonicos praecedentiam competere censuit S. R. C. coadjutori Episcopi Calaritani, qui in eadem Ecclesia Calaritana canonicatum obtinet.“ Hoc etiam decretum affert Barbosa cap. 36. de Canonicis simul et Episcopis titularibus sub num. 5.

Quod quidem decretum nihil novi exhibere, quod alias non sit explanatum, et de simplici praecedentia agere quae Episcopis titularibus canonicis supra reliquas dignitates debetur, prout alias vidimus, ex ipsa decreti lectione manifestissime patet. At ex eo ita deducit argumentum ipse Caeremoniarum magister. Quid sibi velint haec verba: „*aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonicos praecedentiam competere*; mihi videntur explicare actiones omnes ecclesiasticas ac praesertim in praecipuis solemnitatibus missas cantare ritu pontificali ad praescriptum Caeremonialis Episcoporum et de licentia semper, saltem praesumpta, proprii ordinarii loci, cum una vice pro semper data sit.“

Totam deducti argumenti vim in

iis vocibus collocat *aliisque actibus*. Fatemur equidem non satis patere rationem cur voces illas tam libere detorqueat ad jus praelationis in missis cantandis caeterisque sacris functionibus peragendis, et quomodo in iisdem oculis prospiciat adjuncta tot ac tanta, nempe praecipuas solemnitates, ritum pontificalem, Caeremoniale Episcoporum, licentiam praesumptam Ordinarii, unam vicem pro semper etc., cum tam prona sit ejus vocis explicatio, quae non aliud importat nisi *singulas actiones capitulares* sive missas et divina officia in choro sive processiones extra chorum sive comitia in capitulo, in quibus actionibus singulis, quaecumque illae sint, quae a capitulo peraguntur, semper competit Episcopo titulari praecedentia honoris et obsequii tam in sedendo quam in procedendo.

Colligentes modo quaecumque decreta, quae ab adversae partis patronis producuntur sive Ragusin. sive Leodien. sive Comen. sive Calaritan., et recolentes rationes, quas in iis declarandis et dilucidandis adhibuimus, jure optimo concludi posse videtur, quod fidenter proposuimus, ex his decretis sententiam nostram non infirmari, sed validius roborari. Ea enim omnia, sicut et caetera a nobis allata ostendunt, praelationem seu praecedentiam omnem, quam Episcopis titularibus discernunt, versari tantum in *assistendo* functionibus tam in choro quam extra, minime bene vero in jure praelationis in missis cantandis seu *functionibus ipsis peragendis*. Et quaecumque alia poterunt pro contraria sententia afferri decreta, hac distinctione, quam statumus, explicantur simul atque explanantur.

Age, nunc alia in medium proferamus decreta inter quae nonnulla occurrunt, in quibus jus illud praelationis in

functionibus peragendis positive excluditur, quae dum clarius aperiunt mentem S. hujus Congregationis simul et viam sternunt ad aliud argumenti genus, quod dicunt *a simili* ab ipso Vicario generali Episcopi desumptum.

Vicarius generalis simul ac constitutus est in officio, generatim loquendo, evadit ordinaria Episcopi jurisdictione et si graviores quasdam causas excipias, uti matrimoniales, criminales, collationem et erectionem beneficiorum, convocationem synodi et alia quae caventur in jure, de caetero unum idemque tribunal cum Episcopo constituunt, ita ut neque liceat a Vicario generali ad Episcopum provocare. Et tamen licet Vicarius generalis, quibusdam exceptis, unam habet eandemque cum Episcopo jurisdictionem, conceditur quidem ipsi praecedentia in assistentia chori, ferme ut Episcopis titularibus, sed praelatio in divinis officiis sacrisque functionibus peragendis non item, quamquam sit ipsi de gremio capituli, quippe hae absente Episcopo vel impedito ad solas dignitates et Canonicos respectivo ordine reservantur.

Et hoc cautum semper fuisse ab hac S. Congregatione patet ex pluribus decretis, quibus locus in choro et aliis functionibus datur Vicario generali, dummodo Canonici non sint sacris paramentis induti et dummodo, si de numero Canonicorum ipse sit, amittat distributiones quotidianas, quibus lucrando debet incedere et sedere in loco seu stallo suae receptionis. Audiatur pro omnibus decretum die 5. Julii 1614 in causa Casalensis, in qua S. C. censuit:

„Non esse recedendum a decretis alias in similibus causis factis, nempe praecedentiam dandam esse Vicario generali super omnes Dignitates et Canonicos dummodo ipse Vicarius non

sit de numero ipsarum Dignitatum et Canonicorum, quia tunc deberet incedere et sedere in suo loco sive stallo ut distributiones quotidianas lucrari possit, et dummodo Canonici non sint sacris vestibus parati, quia tunc ratione paramentorum debet Vicarius cedere locum digniorem Canonicis paratis.“ Quod confirmavit die 27 Februarii 1847 in una Tranensis. his verbis: „Juxta alia decreta Vicarius generalis in choro et in habitu vicariali omnibus etiam non paratis praecedet, excluso tamen hebdomadario.“

In qua praecedentiae praerogativa hoc unum discrimen est inter Episcopum et Vicarium generalem, qui sint Canonici, ut uterque gaudeat supra Dignitates et Canonicos praecedentia, ita tamen ut distributiones quotidianas Episcopus percipiat, Vicarius vero amittat.

Si autem haec praecedentia ad missas etiam solemnes aliasque episcopales functiones extendi posse aliqua ratione videatur absente vel impedito Episcopo, id certe fieret cum Vicariis generalibus, attendente ordinaria jurisdictione, qua una cum Episcopo ii praediti sunt. Id tamen negatum semper est et ad Dignitates et Canonicos tamquam jure quodam proprio ac nativo semper declaratum est pertinere et hoc est, quod probamus argumentis seu decretis positive et explicitis verbis rem declarantibus. Super quo dolendum est excidisse e tabulario Sacrae Congregationis decretum in Brundusina sub die 2. Martii 1602, quo primum declaratum fuit „ut omni tempore tam absente quam impedito Archiepiscopo et sede vacante, ad dignitates non autem ad Vicarium, etiam quod sit de gremio capituli, pertineat dictas missas (quae ad Episcopum spectant) celebrare.“

Sed licet exciderit, indubium tamen

de eo extat testimonium in duabus aliis Brundusinis, altera nempe 25. Januarii 1603, qua declaratur „debere Vicarium obedire decreto jam super hoc facto, et quatenus recuset, cogendum esse remediis opportunis coram auditore camerae“; altera clarius et latius 11. Julii 1605, quo illud ipsum decretum deperditum commemorat: „Decretum alias factum sub die 2. Maii 1602 pro Archidiacono, Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Brundusinae, quod ad ipsos non autem ad Vicarium generalem spectet celebratio missarum et aliarum functionum ecclesiasticarum absente vel impedito Archiepiscopo, habere locum tam sede vacante quam plena.“ Aliud quoque decretum in Neritonensi sub die 25. Februarii 1605: „Missas solemnes, processiones, officia divina et alias similes functiones, quas faceret Episcopus, si praesens esset et ad ipsum pertinent, Episcopo absente, non ad Vicarium sed ad Dignitates et Canonicos ejusdem Ecclesiae pertinere successively et non alternatim, id est, si Episcopus praesens non erit, prima dignitas celebret vel officium faciat, quod ad Episcopum praesentem pertineret, et ea impedita vel absente, succedat secunda dignitas et secunda impedita tertia et omnibus dignitatibus impeditis vel absentibus primus Canonicus id exequatur et sic per ordinem successive faciendum esse.“ Quae omnia breviori formula confirmat decretum in Neocastrensi 16. Januarii 1607: Non ad Vicarium sed ad primam dignitatem pertinere et alias functiones facere, quas si praesens esset, Episcopus faceret.“

Doctrinam hanc ex his aliisque decretis collectam ita tuetur Cardinalis de Luca et consonam judicat principis juris, ut ab ea recedi non posse doceat, etiamsi Episcopus aliter statuere voluerit: en ejus verba loc. cit.

n. 7.: Passim decisum est per S. Congregationem, Vicarium capitularem non posse in hujusmodi functionibus (pontificalibus et majoribus) se ingerere in praedictum primae dignitatis, quinimo neque Vicarium generalem, etiam ita expresse demandante Episcopo, qui desuper statuendi potestatem non habet.“

Profecto de his decretis et declarationibus S. Congregationis satis elucet quod proposuimus, quod nempe Vicario generali tum tribuitur praecedentia honoris in choro et extra, cum sacris functionibus existit, eidem tamen discretissimis verbis denegatur praelatio in earundem functionum celebratione. Imo in eadem illa praecedentia *loci et stalli*, quae ei conceditur supra ipsas dignitates, excluditur hebdomadarius, ut in decreto Tranensis. sup. cit. moneatur, ne scilicet per hanc praecedentiam ullum inferatur praedictum canonico functiones peragenti. Jam vero ex hoc manifeste patet, quae sit mens sacrae hujus Congregationis cum concedit Episcopis titularibus praecedentiam illam, de qua supra egimus, atque ita a majori ad minus argumentari licet. Si enim in Vicario generali, qui in jurisdictione ordinaria est unum quid cum Episcopo, praecedentia, quae ipsi tribuitur in choro et extra supra reliquos Canonicos et Dignitates, intelligenda est de sola assistentia, neque extendi potest ad praelationem aliquam in sacris officiis peragendis, quia haec, ut vidimus, apertissimis verbis excluditur, multo minus extendi potest ad actus quospiam jurisdictionales in sacris functionibus exercendis praecedentia illa quae tribuitur Episcopis mere titularibus ast etiam auxiliaribus canonicatum retinentibus, qui ab omni jurisdictione ordinaria Episcopi dioecesani sunt prorsus extranei.

Sed ut magis adhuc doctrina iste